JANI PLANCI
MEDICI PRIMARII ARIMINI
DE
MONSTRIS AC MONSTROSIS QUIBUSDAM
AD
JOSEPHUM PUTEUM
SANCTISSIMI D. N.
BENEDICTI XIV
PONTIFICIS MAXIMI
ARCHIATRUM EXTRA ORDINEM
ET
ACADEMIAE INSTITUTI BONONIENSIS PRAESIDEM
EPISTOLA.

VENETIIS
TYPIS JOANNIS BAPTISTAE PASQUALIS
Anno cIↃIↃCCXLVIIII.
SUPERIORUM PERMISSU.

MONSTRA, Putei Amiciſſime, in ſpecies tres commode tribui poſſe arbitror, quarum primam eorum eſſe iudico, quae in Vtero Animantium ita oriuntur, ut ex duobus pluribusve foetibus manifeſto in vnum coaleſcant, quod Monſtrum dicitur, quodque Partes, Membraque multa, ex quibus coaluit oſtendit. Genus hoc Monſtrorum tam notum eſt, & tam facile animo quisque ſibi fingit, quomodo tenella ſtamina, & plane mucoſa plurium foetuum conſociari poſſint in Vtero Matris ictu vel caſu quodam alio, ut permulti ex Phyſicis Recentioribus Monſtra omnia non alio pacto oriri poſſe arbitrentur. At cum Winslowio * aliisque Genus etiam ſecundum Monſtrorum agnoſco, quae ex conformatione naturali, ſive ex plaſtica quadam vi naturae, ſive a natura ipſa ludente, vt ita dicam, ita fiunt, vt Partes tantum aliquas duplicatas, vel

* Praeter genus hoc Monſtrorum nullum aliud agnoſcunt Duverneyus, & Winslowius, propтereaquod, ut inquiunt, Naturae Auctor Deus Monſtra omnia in ipſomet Ovo condiderit. *Vid. Acta Academ. Scientiar. Pariſienſis.*

deficientes ostendant. Quis enim Sedigitum Hominem arbitretur ex duplici foetu humano coaluisse, quòd vnicum digitum redundantem ostendat, cetera vero in suis membris visceribusque vnicus sit? Quod de Digito dicimus, cur dicere non possumus de Brachio, Pedeve multiplici, quae in quibusdam Monstris cernimus? Si de Digito, Brachio, Pedeve dicimus, cur de Capite, cur de Iecinore duplici, & cur de aliis Membris Visceribusque interdum duplicibus idem dicere non possumus? Praesertim quum nulla vestigia ceterorum membrorum viscerumque geminati foetus supersint? Ad tertium genus Monstrorum ea revocari posse censeo, quae morbo in Animantibus sic fiunt, vt vel Partes Animantium in rem plane diversam transmutentur, cuius generis sunt, quum Ossa reperiuntur ubi Caro, vel Glandula, vel Membrana reperiri debuerat; vel denique si Morbus, effectusque Morbi sit tantus, & tam rarus, & ita insolens, vt ad Monstra, & ad Ostenta referri possit. Specimen trium horum generum Monstrorum, quae apud nos sunt, vel fuerunt describere, & figuris quibusdam inlustrare modo hac Epistola molior, quam Epistolam cum Academia communicare, eamque in Acta ejus, si lubet, referre poteris.

Ad genus primum Monstrorum quod adtinet ipsis Kalendis mensis Maii anno millesimo septingentesimo quadragesimo quinto Carolus Agolantes Vir Nobilissimus mihique Amicissimus bicor-

poreum Aeluri Catulum diſſecandum adtulit, quem mortuum peperit noctu ejus mater. Circa umbilicum dividi in duo corpus huius Monſtri incipiebat. Duo enim ſuperſtites erant funiculi umbilicales, duae caudae, & quattuor pedes poſteriores cernebantur. At Caput in Monſtro erat unicum, ſed mandibula inferior erat bifida, ut duplex mentum conficeret, in quo duae erant linguae. In Palato ſepimentum erat cum duobus antris, quae in unicam tracheam deſinebant. Si inflaretur oeſophagus, ſeu Gula flatus in Pulmones penetrabat, & viciſſim flatus ex trachea in oeſophagum, & in ventriculum permeabat. Corpus erat unicum in pectore vſque ad ventriculum, qui ventriculus item erat vnicus, ſed vltra ventriculum corpus duplicabatur, vt duos haberet funiculos umbilicales, & quattuor pedes in parte poſteriori, & caudas duas. Pulmo erat vnicus, ſed in majores numero lobulos ſecabatur, quam ſi vnicum fuiſſet Animal. Collum detracto corio cum duplici cervice, ſeu cum duplicatis vertebris apparuit. Duae item Spinae erant in dorſo, & duplex ſternum in pectore. Quattuor pedes erant in Parte ſuperiori; duo anteriores in loco ſolito, & duo in dorſo ad ſcapulas, quae Scapulae, ſeu Homoplatae item quattuor erant, quamquam una earum valde parva apparebat. Vltra Ventriculum duplex erat Abdomen, & in vnoquoque Abdomine cernebantur inteſtina tenuia, & craſſa, quae ab vnico illo Ventriculo

geminatis initiis oriebantur. Vnicum erat Iecur, & unicus Lien, ſed quadruplices erant Renes, duplices ſcilicet in quolibet Abdomine. Sexus foemineus erat in utroque animali.

Ex hac Hiſtoria breviter a me narrata huius Monſtri, & ex figuris, quas in calce huius Epiſtolae adiungo Tabula I. manifeſto apparet Monſtrum hoc ex genere eorum eſſe, quae ex duplicato foetu in vnum coaluerunt ictu, vel caſu quodam alio, dum tenera adhuc eſſent, & plane mucoſa eorum ſtamina in vtero, ſeu melius in cornibus matris, [Vterum enim non habent Aelurorum matres] Geminata fere hic ſunt omnia, & quaedam, ſi unica apparent, velut inſitione quadam in vnum coaleſcere potuerunt.

Non tantum manifeſto cernimus Monſtra geminati foetus in Hominibus, ceterisque Animantibus, ut perſpicue vidimus in Monſtro modo deſcripto, ſed clare cernuntur etiam in Fructibus qua arboreis, qua terreſtribus. Terreſtrem Fructum, Melonem ſcilicet monſtroſum geminatumque ſaepenumero hoc anno vidimus, & horum vnum, quem diſſecui Figura III. & IV. Tabulae II. oſtendunt. Figura enim III. fructum integrum ob oculos ponit, vbi littera *a* exprimit Pediculum, qui rimula quadam duplex eſſe apparet; Haec Rimula per vniverſum corpus Melonis vtrimque protendebatur, & deſinebat in *c*, ubi diſiuncta erant ambo Melonis, ut ita dicam, Capita, ſeu Flores, ut hic vocantur; propterea-

quod Flos in ea parte ſit , & ex ea decidat , quando Melo adoleverit . Figura IV. ejusdem Tabulae Melonem diſſectum repraeſentat , in cuius Pediculo *a* manifeſto cernitur diviſionis rimula geminati fructus , quae tamen intrinſecus in fructu non apparebat , ſed unicum ſeptum in *b* cernebatur ſine rima . Litterae *cc* denotant loculos , in quibus ſemina in Melone vtroque cum ſuis placentulis locabantur . Fructum hunc quisque etiam videt ex duplici fructu , ſeu foetu , manifeſto coaluiſſe , quum duplicia ſint omnia , & in vnum conſociata . Quomodo vniantur duo Fructus in vnum , vt rem Monſtroſam conficiant , dicendum . Fructus ſane Monſtroſi non ex prava imaginatione matris oriri quispiam dixerit , vt permulti de Monſtris humanis , & belluinis dixerunt ; Plantae enim nulla ſentiendi , nullaque imaginandi vi praeditae vulgo , & quidem recte , cenſentur . Quomodo ergo conſociabuntur in vnum Monſtrum duo , pluresque earum Fructuum , vt conſociari , non ſolum in Melonibus ; ſed in omnibus Fructibus frequenter cernimus ? Ictu certe , vel alliſione non tam facile , quum progrediendi vim non habeant Plantae , & earum Vterus immobilis , & conſtipatus plerumque ſit , quamquam ventorum , imbrium , & aliarum rerum iniuriae labefactare interdum tenella Fructuum ſtamina non negaverim ; at veroſimilius credo ex foecunditate nimia Plantae fructiferae Fructus duos , vel plures interdum tam prope gigni , vt veluti in-

ſitione quadam in vnum coaleſcant, quod Hortorum Cultores id arte ſaepenumero praeſtant in Malis Medicis praeſertim, vt ex duplicatis gemmis, quas inſitione coniungunt fructum vnicum duplicis ſpeciei, & naturae oriri videamus. Cur igitur natura ipſa Arboris Plantaeve cuiusque efficere non poteſt, vt vicinitate quadam germina duo Fructus, vel plura in vnum coaleſcant, & ad maturitatem veniant, vt veniunt ea, quae arte in Malis Medicis conſpiciuntur; praeſertim ſi vtriusque Fructus Flos ſit Androgyna, at ſi ſit foeminei Sexus, vt ſunt Flores foecundi Melonum noſtrorum, & omnium Cucurbitaceorum, tunc ex Flore Maſculo Semen, ſeu Seminalis Pulvisculus in Infundibulum alterius Floris deferri poterit, vt foecundetur. Hic non abs re adnotandum eſſe iudico Flores Cucurbitaceorum, quemadmodum omnes norunt, eſſe duorum generum, alii ſcilicet ſteriles ſunt, & fructiferi alii, ſeu foecundi, ut aiunt, qui melius foecundati dicerentur. Qui ſteriles ſunt, ii mares pariter ſunt; Hi quidem unico Piſtillo turbinato conſtant, quod parvulas ſphaeras pellucidas, & flavas gerit ſupra rugas quasdam ſpirales. Flores vero, qui fructiferi ſunt tria ſtamina gerunt, quorum vnumquodque velut in duo diſſectum eſt. Quare apparet Flores ſteriles, ſeu Mares, Monandrios eſſe, & Flores fructiferos, ſeu foecundos, vel melius foecundandos, Trigynios eſſe, ut Linnaeus loquitur, qui neſcio an hanc differentiam in libris

bris

bris ſuis, quam ego perſpicue in Floribus Cucurbitaceis obſervavi, adnotaverit. Monoecia enim, & Syngeneſia ſua habet neſcio quid obſcuri hoc loco.

Venio nunc ad genus ſecundum Monſtrorum. Sabiniani in Gallia Ciſalpina, quod Oppidum eſt non ignobile noſtrae Ariminenſis Dioeceſis decem millia paſſuum ab Vrbe Arimino diſtans anno praeterito ortus eſt Vitulus biceps prope Fanum celebre Virginis ad ripas parvi Fluminis, quod muros eius Oppidi alluit, quod a nonnullis cum Hadriano Cardinali pro vero Rubicone Antiquorum habetur. Monſtrum hoc edidit Vacca eius mater tempore debito a. d. IV. Kal. Iunias anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Quare ſtatura ejus erat cum ceteris Vitulis communis. Duabus diebus vixit, & pridie Kalendas Iunias a Ioanne Antonio Battarra Viro in Botanicis, & in Hiſtoria Naturae verſato auditore noſtro, & quondam Sabiniani Philoſophiae Profeſſore, & a Daniele Columna Medicinae Doctore, & in re anatomica adiutore noſtro, qui Sabinianum a me miſſi ſunt, Cadaver illius Vituli diſſectum eſt. Capita tantum duo habebat in vnum coniuncta, quae in parte oſſis petroſi & temporalis coniungebantur. Oculi quattuor erant in hoc Monſtro, ſed duobus externis tantum cernebat, nam reliqui duo, qui in parte interiori erant locati, leucomate, ſeu albugine quadam in cornea inficiebantur, vt obiecta cernere

non possent. Fabrica tamen vniversa horum oculorum perfecta erat in suis tunicis humoribusque, & a suo nervo optico quilibet oculus distincte proficiscebatur. At Aures tantum duae extrinsecus apparebant. Dissecto Cranio duplex Cerebrum repertum est, quod a maiori quodam sepimento Durae Matris dirimebatur; At vnicum erat Cerebellum, & vnica Medulla oblongata, & vnica Medulla Spinalis. Duae erant Linguae, vna in quolibet Monstri ore, quae circa basim vniebantur, & ab vnico osse hyoide sustentabantur. Vnica erat Larynx, vnica Trachea, vnicus Oesophagus, Cor & Pulmo vnicum. Verbo extra Caput vnica erant omnia, vt in ceteris Vitulis. Monstrum hoc, vt & sequens, ex conformatione naturae ortum esse dici potest, & non ex consociatione duorum foetuum, quum alterius foetus, praeter Caput, ne vestigium quidem ullum apparuerit. Vituli huius imaginem cernere licet Tab. I. Fig. III., vt & eius Linguam bifidam Figura IV. quarum rerum explicationem in calce huius Epistolae dabo.

Sedigitum Foetum septimestrem secui pridie Kalendas Ianuarias anno millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, quem edidit Arimini Clara Pardenzana Nautae Vxor, mulier aetatis XXXIII. annorum, obesa, & plurimorum filiorum mater. Auricularis digitus duplex cernebatur, velut appendix quaedam in qualibet manu foetus. At Monstrum hoc vnicum Nasi foramen habe-

bat, vel, vt melius dicam, nullum, nam imperviae erant ambae eius nares, & foramen tantum vnicum & rotundum in illa fovea reperiebatur, quae ſub nares eſt, per quod foramen Foetus reſpirabat; Aliquot enim horis vixit. Herniam magnam in Vmbilico habebat, in qua ſacculus ex dilatato Peritonaeo cernebatur, in quo vniverſum inteſtinum Ileum, & pars magna Coli cum Coeco reperta eſt. Monſtrum item hoc ex conformatione naturae, & non ex conſociatione aliqua quisquam ortum eſſe videt.

Ex Conformatione item naturali dicendum eſt in Oſſe Hyoide interdum duo Oſſicula reperiri inter os baſis, & inter cornua eiusdemmet Oſſis Hyoidis, ſeu Bicornis, quemadmodum duo ſatis magna quidem, & conſpicua, conicae figurae, & ſeptem lineas pariſienſes longa reperit hoc anno Daniel Columna Medicinae Doctor, & Adiutor noſter, ut dixi, in Cadavere viri ſexagenarii, quod ſecuit Arimini in Noſocomio. Huiusmodi Oſſicula Tabula III. Figura V. Sub Litteris *cc* cernuntur. Haec Oſſicula memorantur ab Heiſtero in ſuo Compendio Anatomico, [*num.* 106], dicitque ea eſſe valde exigua, a multis neglecta, & ſeminis Tritici fere figura, quae Triticea inde appellari poſſe cenſet; Verum haec noſtra ſatis magna quidem, & peculiaria a Columna obſervata *Avenacea* potius dici poſſunt quam Triticea, quum granum Avenae magis integri, & maioris quidem, referant, quam Tritici.

At quoniam hic de Officulis circa Hyoides Os incidit ſermo referre lubet duo alia Officula, quae ſaepenumero ad finem Cornuum eiusdemmet Oſſis Hyoidis reperi, ea nempe in parte, qua cum Proceſſibus Cartilaginis Thyroidis coniungitur, ſive per carneum ligamentum, per ſyſſarcoſin, vt Anatomici vocant, ſive per genuinum muſculum, quem in Cane Chondro-Cerato-Hyoideum appellat Douglaſſius. In parte igitur, ubi hic muſculus, ſive Ligamentum reperitur, quo Cornua, ut dixi, Oſſis Hyoidis cum Proceſſibus ſuperioribus Cartilaginis Thyroidis coniunguntur, ſaepenumero Officula duo, vnum ſcilicet in quolibet latere, obſervavi, quae ab Anatomicis non deſcribuntur, & quae Hordei granum cortice denudatum referunt, & quae inter res peculiares, & non ſatis obvias commode referri poſſunt. Huius Officuli Hordeacei formam, ſic enim id modo appellare liceat, cernere poteris eadem Tabula III. Figura VI. ſub littera *a*. Littera enim *b* Cornu, ſeu Segmentum Cornu Oſſis Hyoidis exhibet. Littera vero *c* Proceſſum Cartilaginis Thyroidis, ſeu Segmentum ejusdemmet Cartilaginis, inter quae Segmenta in Ligamento ipſo vtraque coniungente huiusmodi Hordeaceum os reperitur.

Tripodem Infantem edidit Vrſula Hortulani Vxor Arimini in Divi Geneſii Suburbio viginti quinque abhinc annis. Pes redundans a Pube prodit, Tibia & Femore eſt inſtructus. Quando Puer

lactans erat, Crus hoc vniversum duobus aliis Cruribus erat aequale, & bene nutritum, sed ita erat dispositum, vt planta pedis non Terram, sed Coelum respiceret, & versus abdomen, & pectus Crus vniversum inclinaretur. Ineunte aetate Pars ista non ita nutritione aucta est, ut reliqui duo Pedes; Quare Puer Pedem hunc redundantem intra subligacula gestare poterat, uti modo gestat Adolescens intra magna quaedam subligacula Epirotarum more, & Fabri lignarii artem exercet. Tripodis hujus Adolescentis figuram in medium non adfero, quia subrusticus ipse est, & vt denuo eum contemplarer non permisit, nedum vt a Pictore pingeretur, qui tamen per me vivit, nam Parentes eius dum infans esset instabant, vt ego per Chirurgum Crus illud redundans secarem, ne puero, & ipsis incommodo esset, quod non permisi timens, ne magna sanguinis effusione periret. Membrum enim illud nimis amplum tunc erat, & bene conformatum, vt dixi. Monstrum hoc item dico ex conformatione Naturae prodiisse, & non ex vnione alterius foetus, quum praeter vnicum Pedem ne vestigium quidem alterius foetus supersit.

Item ex conformatione Naturae aio esse, ut hic Arimini sexagenarius Presbyter quattuor tantum digitos habeat in manu sinistra, quae manus nulla tamen deformitate est conspicua, sed tantum minor altera apparet, quum vna digitorum, & metacarpi phalanx, vt Anatomici loquuntur, eidem manui desit.

Si figuris exprimere datum non fuit Tripodem Hominem, & Quadridigitatum Senem; Figura tamen Quinquedigitatum Pedem Galli Gallinacei exprimemus, cuius figuram numero VIII. Tabulae III. cernere poteris. In vtroque pede quinquedigitatus erat Gallus iste, cuius pedes in Museolo meo adservo. In vtroque breviori Galli digito, qui velut humano pollici respondet, non vnicus, sed duplex pollex cernitur, & littera *a* repraesentat pollicem adiectum; Littera vero *b* pollicem ordinarium Gallorum exprimit, qui tamen longior est solito, vt figura ipsa ostendit; Inter articulum medium istius digiti *b* maioris, pollex ille minor *a* cum sua vngui prodit. Digitos hos geminatos in vtroque pede huius Galli ex conformatione naturali quisque videt ortum habuisse, & non ex duplicis foetus consociatione, quum praeter hos duos digitos redundantes, & parvos quidem, nullum aliud membrum viscusque geminati foetus in hoc Animali superesset.

Ex Avium Ovis Monstra prodire valde peculiare est, & maxime quidem prodeunt ex iis Ovis, quae geminatum Vitellum, & geminatam Chalazam, seu Cicatriculam gestant, quae indicio sunt geminatum foetum in illis Ovis contineri. Facile enim tunc quisque sibi fingit animo, quomodo tenella Pullorum stamina in Ovis illis conduci possint in vnum, vt foetus edatur, quod geminatum Caput habeat, vt videmus habere Aquilas illas in stemmate Austriaco; qui foetus

habere poteſt plusquam duas alas, & plusquam duos pedes, & viſcera omnia in eo geminata eſſe. Haec ſane Monſtra hic non vacat referre, quum frequentiſſima ſint, ut quisque novit, omni loco, & tempore; Verum non adeo frequens eſt Ova ipſa extrinſecus monſtroſa eſſe, & apparere, ſi exiguitatem in iis excipias. Gallinae enim plerumque, quum foecundae eſſe deſinunt, & effoetae fiunt, ut matres ſint, ſeu Matrices, ut Latini loquuntur, quando ſcilicet Ovis incubare volunt, tunc Ova quaedam minima, & vitello interdum carentia edunt. At hic Arimini Gallina quaedam anno elapſo Ovum tempore debito excluſit non ovalis figurae, ſed oblongum, & recurvum, vt digitum humanum quodammodo referat, vt cernere eſt in Tabula II. Figura V. cuius Ovi integram teſtam albumine, & vitello purgatam in Muſeolo meo adſervo. Ovum hoc item aio ex conformatione naturali productum fuiſſe in Ovario Gallinae, vel ab acido quodam circa Oviductum congeſto fuiſſe deformatum, quod eius teſtam emollierit, vt oblongatum ſit, dum excluderetur, ut accidit in Ovorum teſtis omnibus, quae aceto molleſcunt, quod & Circulatores ſciunt, vt Ova ita emollita in ampullas vitreas collo arcto coniiciant. Non enim imaginatione Gallinae Ovum hoc noſtrum oblongatum, & recurvatum eſſe cenſeo, quemadmodum quidam imaginationi plus ſuae, & pravae opinioni, quam rectae rationi tribuentes arbitrati ſunt,

qui tempore eclipsis solaris Gallinas Ova edidisse cum figura Solis defectus, & Lunae eum obumbrantis Stellisque adiunctis scripserunt, & haec omnia figuris aeneis repraesentare non dubitarunt, vt fecerunt ex Magliabecchii fide quidam Germani Actorum Naturae Curiosorum Compilatores, vt diserte testatur Ioannes Henricus Cohausenius eo in Libro, cuius titulus est: *Exercitatio de Lucis in Phosphoro Caussis*; quo in Libro id iterum narrat, & figuram aere incisam cum Ovo portentoso [*Pag.* 113] denuo recudit, ad quod non attendentes quidam ex Insubria, dum haec ederentur, novam Dissertationem de Ovo quodam alio, quod exsculptam habet Solis & Lunae faciem tempore maximi Solaris defectus, qui hoc anno quintili mense accidit, Ovumque illud, cuius figuram exhibent, apud Seplasiarium quemdam *Frichignone* nomine adservari narrant, quod Ovum Stellam quamdam in parte eius inferiore exsculptam insuper habeat; & dissertationis Auctor alia Ova iis in locis Insubriae hoc pacto portentosa eo tempore ab aliis Gallinis edita fuisse dicit, sed Quisque sanae mentis videt Ova illa fraude viri cuiusdam vafri typo quodam effingi potuisse, quum prius aceto fuerint emollita. Blondellus enim, & Auctor quidam gravis Gallus Anonymus in Epistolis quibusdam in Ephemeridibus Trevoltianorum mense iunio anno millesimo septingentesimo quadragesimo quinto relatis, vim istam imaginandi, quae foetum variare,

re, & in Monſtrum interdum plane convertere poſſit, ſolide refutant, & Monſtra, Monſtroſasque Partes Animantium oriri, vel ex prava conformatione naturali, vel ictu, morboque alio ſapienter contendunt, quod fortaſſe ex his omnibus accidit in Ovo noſtro oblongo, & recurvo.

Morbo ne acciderit an Conformatione naturali dicendum ſit, vix dignoſcitur, ut Capus apud nos Calcar habuerit in pede inſignis magnitudinis, vt Cornu potius quam Calcar, ſeu Gallinaceum Vnguem referat; eius enim longitudo eſt quinque digitos pariſienſes cum octo lineis. Calcar hoc cernitur in calce huius Epiſtolae Figura VII. Tabula III. ſub litteris *aa*. Nucleus eius Calcaris, ſeu pars purè oſſea haerens Pedi Capi, & intus latens digitum vnum cum ſeptem lineis pariſienſibus aequat. Capus hic, qui inſigne huiusmodi Calcar gerebat, & qui in Britannia ſi fuiſſet in Alectoromachia gallos britannos vniverſos proelio inito fudiſſet, per octo annos a Cauſidico quodam curioſo, & affini noſtro fuerat enutritus, qui Capus diſtortos habuit praeterea, & maxime oblongatos in illo pede vngues omnes ſub litteris *b.b.b.* notatos, eo excepto, quem littera *c* notat, qui apice acuto erat, vti ſolet in ceteris. Tu, mi Putei, videris an prava conformatione naturali, an morbo, an ſenectute, quae morbus eſt & ipſa teſte Tullio, acciderit, vt in hoc Capo Calcar ad tantam inſignem magnitudinem excreverit, vt vngues praeterea ma-

xime oblongi, & diſtorti fuerint, vt anguimanus Capus hic dici potuerit, vt de Boye Luca, ſeu de Elephanto dixit Lucretius. Monſtri certe ſpeciem habet Pes iſte huius Capi, quam quidem tantam non habebat Pes alter eiusdem, licet & Calcar in eo eſſet magnus quidem, & Vngues plerumque diſtorti.

Venio nunc ad ea Monſtroſa, quae a vitio quodam, magno quidem, & non peculiari, neque in Vtero matris contracto, ſed quae morbo quodam oriuntur. Viginti duo abhinc annis ſcripſi ad Te, Putei Doctiſſime, in Appendice eius Epiſtolae, quae edita eſt vna cum alia Tua, Hiſtoriam de Ventriculi Luxatione ex calloſo quodam Vlcere, quam in cadavere Canonici noſtri Saecularis inveni, modo ad Te ſcribere etiam volo Hiſtoriam aliam Vlceris cuiusdam magni & calloſi, quod obſervavi in Ventriculo alterius Canonici ex Lateranenſium Ordine, qui circa Kalendas Ianuarias hoc anno cIↄIↄccxLVIII. obiit. Vlcus hoc calloſum Ventriculi hic memoro, quòd hoc morbi genus ſaepenumero a me obſervatum ſit Arimini, vt maxime frequens dici poſſit, quamquam in Libris Practicis Medicorum non ita frequenter deſcribatur, ſed raro relatum inveniatur, quo tamen innumeri apud nos perierunt, vti accidit duobus abhinc annis in Viro Nobili ſexagenario, cuius Cadaver a me diſſectum fuit; quo morbo laborat etiam nunc, & quidem ad mortem Nobiliſſima alia Mulier quadragenaria. Hiſtoriam

huius Canonici propterea quoque hic adiungo, quod Ioannes Antonius Battarra, qui interfuit sectioni Cadaveris, quique, vt dixi, auditor olim noster fuit, & modo pro sua Humanitate Adiutor Studiorum nostrorum in Botanicis, & in Historia naturali se praebet, figuram vlceris illius callosi delineaverit vna cum quibusdam aliis Partibus, quae omnia cernere poteris in calce huius Epistolae Tabula II. Figura I. & II; quas figuras etiam, vti & alias omnes, quas modo adduco ipsemet Battarra aere expressit. Vlcus igitur callosum & duos digitos transversos fere profundum, circulare, & argentei Philippi latitudinem exaequans inveni in fundo Ventriculi in cadavere Iosephi Zannelii Caesenatis Canonici ex Ordine Lateranensium Viri quadragenarii. Is Caesenae per tres & amplius menses doloribus Stomachi, & Intestinorum laboravit magna cum alvi adstrictione. Dolores Stomachi acerbiores fiebant quinque, vel sex horis a pastu, qui vomitu, vel spontaneo, vel digitis excitato leniri videbantur. Ariminum venit, vt melius curaretur, si fieri posset, ante Idus Decembrias anni elapsi, & in Domo Catharinae Brunelliae Sororis suae hospitatus est. De calloso vitio Ventriculi suspicatus ego sum antequam aegrum invisissem ex litteris ad sororem datis, quibus nuntiabat doloribus illis cotidianis, & periodicis tentari, & interdum per inferiora materiam nigram deiecisse. Postquam Ariminum venit prima die

Tectuccianam Aquam pondo duarum librarum sumsit, qua leniter alvus laxata est, sic post triduum eamdem Aquam sumsit, quae bene ei pariter cessit, ita & bene cessit ei decoctio ex Pulpa Cassiae, quam Decoctionem ad libram vnam mane & vespere duobus diebus sumsit. Deinde per decem dies mane aliquot Pilulas sumsit ex Terebinthina Veneta cum pulvere Absinthii, quibus remediis, & opiatis interdum, dolores valde leniti sunt; & a flatibus tantum cruciabatur aeger, & febricula laborabat cum pulsu satis pleno, & cum appetitu semper valido. Missus est ei sanguis a brachio ad aliquot vncias in hoc morbi curriculo, & pilulas solitas ex Terebinthina & Absinthio sumebat. At Kalendis Ianuariis huius anni millesimi septingentesimi quadragesimi octavi postquam ea die subcinericium Panem & res alias durae digestionis comedisset noctu multum sitire coepit, quare advocato famulo aquam multam petiit, & bibit, putans magnam febrim accessisse, sed paullo post in veternum magnum incidit, vt diluculo ego a famulo accitus eum plane agere animam invenerim magno cum stertore & cum pulsu debili omnino, & parvo; quare suspicans de disruptione vasorum sanguineorum, alvi excrementa inspexi, quae noctu antequam veternosus fiebat, deiecerat, & nigricantia sanguineque admixta reperi. Aeger tamen nonnisi hora secunda noctis a. d. IV. Nonas Ianuarias magno

anhelitu, & ſtertore expiravit. Sequenti nocte in ſuo Monaſterio Sancti Marini, vbi eius corpus translatum fuerat, ſectionem Cadaveris inſtituimus coram quamplurimis ex noſtris Diſcipulis, & Canonicis, & Abbate eius Ordinis. Invenimus igitur, vt dixi, calloſum illud Vlcus duos digitos fere profundum, circulare, & latitudine argentei Philippi extenſum. Vlcus hoc erat in fundo Ventriculi, & duos digitos transverſos diſtabat a Pyloro. Ventriculus in ea parte, vbi hoc Vlcus erat, admodum craſſus evaſerat, & extra ipſum infra illud Vlcus in eo loco vbi Omentum cum Ventriculo coniungitur glandulae aliquot reperiebantur amygdalae, vel anacardi magnitudine. Cetera Ventriculus erat naturalis craſſitiei, ſed naturali magnitudine paullo amplior. In ipſo Ventriculo, & per vniverſum Inteſtinorum Canalem excrementum nullum repertum eſt, ſed tantum ſanguis ater, qui Ventriculum vniverſum, & Inteſtina ad anum vſque infecerat. Iecur vniverſum ſtrumoſum erat, & naturali amplitudine minus. Intus & in cute refertiſſimum erat huius cadaveris Iecur Glandulis, ſeu Tuberculis lenticularibus. Color eius ſubalbidus erat ad flavedinem accedens. Veſicula Fellis inanis bile omnino erat. Cetera Abdominis Viſcera ſana apparuerunt. Intra tamen Abdominis Cavernam latex ſanguineus inſtar loturae carnis repertus eſt. In Pectore Lobus ſiniſter Pulmonum arcte ad coſtas, & ad

ſeptum transverſum adhaerebat. Laboraverat enim Venetiis tribus annis ante obitum laterali morbo. In dextra Pectoris Caverna copia aliqua ſanguinis reperta eſt, qui ſanguis fortaſſe effuſus eſt, dum animam ageret; ſtertore enim magno cum grandi anhelitu, vt dixi, animam efflavit. Cor ſanum apparuit, ſed Arteria Aorta in parte interiori non alba apparebat, ſed impenſe rubra, & veluti vlceroſa, & corroſa variisque puſtulis ſcatens, quod ſaepe obſervavi in aliis cadaveribus, eorum praeſertim, qui ſyphillide laborarunt, & ad Aneurisma Aortae, vel ad Pectoris Hydropen ſunt diſpoſiti. Intra Caput huius Cadaveris nil notatu dignum reperimus, praeter humiditatem quamdam circa piam matrem, qua facile ipſa a Cerebro divellebatur. Rari certe habet quidpiam haec Cadaveris Sectio, & paene monſtroſi, praeſertim Craſſities illa ingens Ventriculi, vbi calloſum illud Vlcus repertum eſt.

In quibusdam Animantibus Os quoddam in Corde reperiri Anatomicis notum eſt, & hoc praeſertim Os in Bove, & in Cervo reperitur, at mirum erit, & plane monſtroſum ſi Os reperiatur in Homine, & quidem ſi huiusmodi Os non ad Baſim Cordis intra Ventriculorum ſeptum, vt in iis Brutis, ſed ad Mucronem. At in Aedituo quodam noſtro viro quinquagenario, & vinolento, qui hydrope hoc anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo a. d. III. No-

nas Ianuarias ex ictu ad Pectus periit; repertus est osseus circulus satis durus ad mucronem Cordis, qui Circulus fundum sinistri Ventriculi Cordis obsepiebat. Pericardium adhaerebat in hoc Homine ad Cor, ut saepenumero adhaerescere inveni in iis, qui ictu gravi sternum ad corpus aliquod durum alliserunt, vt ex eo ictu morbos magnos contraxerint, Tabem videlicet, Aortae Aneurismata, & Pectoris Hydropem, vt Aedituus noster, qui non tantum Pectoris Hydrope, sed vniversali aqua intercute tribus mensibus post ictum illum gravem interiit, cuius cadaver a nobis Arimini in Nosocomio dissectum est.

Ossa in Corde quorumdam Animalium reperiri naturaliter iam in superiori Historia vidimus, item praeternaturaliter repertum est Os in Corde ad mucronem, vt ibidem vidimus in cadavere Aeditui illius. Ast Os reperiri vbi Glandula est, non tam frequenter observatur. Glandulae enim potius in lapides, & in materiam tofaceam gypseamque facessunt, quam in osseam. Verum Senis in Etruria quum essemus, & Anatomen ibi publice primo loco profiteremur Nonis Apriliis anno quadragesimo secundo supra millesimum septingentesimum in Nosocomio illius Vrbis Glandulam Thyroideam in parte dextra induratam, & plane osseam invenimus in Viro quinquagenario, cuius Cadaver secuimus. Pars ista ossea ovum columbinum refert, & extrinse-

cus echinata eſt, ſeu pluribus tuberculis oſſeis & ſcabroſis inſtructa. Serra diſſectum hoc oſſeum tuberculum excavatum apparuit, ſed non perfecte. Prominentiae enim quaedam valde exſtantes in eius Cavo cernuntur, vt cernere licet in figura II. Tabula IV. ſub littera *a*. Haec enim figura Glandulam diſſectam, ſeu dimidium Glandulae repraeſentat, quemadmodum Figura I. Glandulam integram, ſeu Tumorem integrum oſſeum in Glandula oſtendit, quem apud me adſervo. Exoſtoſes igitur fiunt & in Glandulis; quod obſervaſſe etiam nemini in hac eadem Glandula Thyroidea quindecim abhinc annis circiter Bononiae apud Ludovicum Bonazzolium Proſectorem Publicum in Archigymnaſio veſtro Bononienſi, & amicum noſtrum. Duae enim Glandulae Thyroideae illo anno in publicis Diſſectionibus vitiatae adductae fuerunt, quarum vna ovi gallinacei magnitudine erat, & intus liquorem melli ſimilem continebat, vti ſolet reperiri in hoc tumore, quem Bronchocelem appellant, bene ne, an male Chirurgi viderint; altera vero magnitudine nucis iuglandis cernebatur, & oſſea erat, vt noſtra, quam Senis in Etruria obſervavimus, & vtraque, ni fallor, in parte dextera vtriusque cadaveris, vt in noſtra Senenſi. An praeter Exoſtoſin in Glandulis concludendum etiam ſit Thyroideam Glandulam duplicem eſſe, & non vnicam, in duas ſcilicet partes maiores vnico iſthmo

mo

mo coniunctas, vt aliqui Anatomici, & quidem ſollertiores contendunt, alii viderint. Vnica enim ſi eſt, cur vniverſa eodem morbo non inficitur? Sed tantum in parte dextera, vt in tribus noſtris exemplis accidit? Verum iſthmus fortaſſe impedit, quominus vis morbi in vtramque partem ſerpat.

Membranas quoque in oſſeam naturam faceſſere, & appendices oſſeas habere non tam facile anatome reperitur. Cartilaginibus enim, Tendinibusque id peculiare eſt, vt oſſeam naturam ſenio induant. At in Cadavere Renati Maſſae Neapolitani viri quinquagenarii, & Vrbis noſtrae Arimini Flaminis repertum eſt Os durae Matri & Proceſſui eius Falcato arcte haerens, Criſtaeque Galli ſuperincumbens a ſodali noſtro Gregorio Barbette Bononienſi Arimini quondam Medico, & Chirurgo, & nunc merito Vrbeveteris Medico Primario, cuius Flaminis cadaver Idibus Iuniis anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto ſecuerat. Id Os, quod mihi poſt meum reditum ex Etruria dono dederat, vt in muſeolo meo adſervarem Criſtae Galli, vt dixi, ſuperincumbebat, at cum ea minime erat coniunctum. Durae Matri, & Proceſſui eius Falcato tam arcte haerebat, vt pars eorum eſſe videretur. Amygdalae magnitudinis eſt, & extrinſecus convexum, at in interiori parte excavatum. Duo Foraminula in eo cernuntur, quorum

vnum *e* eſt in ventre ipſiusmet Oſſiculi; alterum vero *f* inter ipſum & duram Matrem. Quae omnia cernere licet Tabula III. Figura item III. Sub Littera enim *d* Pars externa, & convexa huius Oſſiculi exhibetur, cuius pars concava ſubtus latet. Littera *c* partem oſtendit, quae Criſtae Galli ſuperincumbebat. In *e*, & in *f* duo illa foramina deſignantur. Litterae *b.b.* portiones durae Matris repraeſentant. Littera *a* Cuſpidem Proceſſus Falcati denotat. In *g* parvus proceſſus huius Oſſiculi cernitur. Nullum plane vſum habuiſſe Oſſiculum hoc dicendum, ſed potius incommodo impedimentoque in capite fuiſſe, & ad res morboſas monſtroſasque amandandum, vt modo per me licet, qui ad Te inter huiusmodi res deſcribo.

Ossificari Arterias, ſeu Exoſtoſeis pati frequentiſſimum eſt, praeſertim in Aneurismatibus Aortae, in Hydrope Pectoris, & in aliis morbis chronicis, in quibus Praecordia vitiata reperiuntur, vt ſi exoſtoſeis omneis, & oſſea ſtigmata; quae in Arteriis Anatome reperi modo referre vellem, volumen ingens mihi conſcribendum eſſet. At tacere modo nolo Exoſtoſim, ſeu Oſſificationem magnam vtriusque Arteriae Coronariae Cordis, quam reperi in Cadavere Franciſci Zenghini Comitis, & Patricii Ariminenſis viri ſexagenarii, familiaeque ſuae ſupremi, quod ſecui paullo ante quam haec ederentur. Is per

annum fere variis morbis conflictatus eſt, ſed in morborum initio maxime Palpitationi Cordis obnoxius erat. Sectione eius Cadaveris Cor maximum apparuit, & praecipue Auricula dextra Cordis, quae ampliſſima, & robuſtiſſima cernebatur. Arteria Coronaria dextra Cordis *e* [*Videſis Fig.* IV. *Tab.* III.] ea nempe, quae ſtatim a ſuo exitu ab Aorta plures ramos emittit tota oſſea erat, tum in ſeipſa, tum in ſuis ramis *ffff*. Altera vero Arteria Coronaria *g*, quam ſiniſtram voco, [*eadem figura*], quae ramum directum emittit per ſuperficiem Cordis oſſea tantum erat in trunco, at in reliquis ramis ſuis minoribus conſiſtentiae ordinariae reperta eſt. Arteria Aorta, cuius ſegmentum delineatum eſt hic *a. a. a. a.* [*eadem figura*] oſſea in multis locis cernebatur, & praeſertim poſt curvaturam. Ex Aortae Curvatura Rami quattuor Arteriarum prodibant, & non tres. Ramulus nempe exibat a Curvatura inter Carotidem ſiniſtram, ſubclaviamque item ſiniſtram, quod ſingulare, vt noſti, quoque eſt, quod tamen interdum praeter ordinem in aliis Cadaveribus obſervavi. In Pectoris Cavernis [ſectionem enim vniverſam huius Cadaveris hic deſcribam] aqua reperiebatur, vt & in Abdominis Cavo, ſed non multa; manus & pedes aliquantum tumebant, quare Hydrope Pectoris praecipue laboraſſe dicendum eſt, vti laborant plerumque ii omnes, quibus Praecordia,

vt huic noſtro, vitiata ſunt. Pulmones, & praeſertim lobus eorum dexter, labefactati erant, & aliqua ſanie referti. In Ábdomine Omentum paene obliteratum apparuit. Iecur vero ſanum vna cum ſua Veſicula fellea, quae recurva erat in ſuo collo, & funiculi inſtar retorta, vti ſolet eſſe in Hominibus, & Valvulis illis ſemilunaribus & cochleatis erat inſtructa, vt Heiſterus, & ego iam alias, vt noſti, docuimus. Lien aliquanto amplior erat quam ſoleat, & ad Peritonaeum arcte haerebat adhaeſione interdum oſſea. In Rene dextro decem calculos invenimus variae magnitudinis, & figurae, quorum duo erant maiores, & olivam fere aequabant, & olim fuiſſe vniti inter ſe videbantur. In Veſica vrinaria Lotium copioſum repertum eſt, quod compreſſione aegre prodibat per vrethram. Ceterum, quamvis aeger difficultate vrinae a multis annis laboraſſet, tamen eius Veſica una cum Vrethra ſana apparuit, & calculus nullus in Veſica repertus eſt. Hydrocele in parte dextera Scroti erat, & in tunica vaginali teſticuli dextri materies quaedam reperta eſt cartilaginea, in qua tuberculus durus erat ciceris magnitudine, qui Calculus videbatur, ſed Meliceris erat. Intra Cranium copia aliqua laticis ſeroſi reperta eſt, & praeſertim intra Ventriculos Cerebri. Ex Hiſtoria huius Sectionis praeter Arterias illas Coronarias Cordis, quae maxima ex parte oſſeae apparuerunt,

& praeter exoſtoſeis varias in Aorta, exoſtoſim, ſeu oſſificationem etiam vidimus in membrana Lienis, quod ſingulare admodum eſt, & praeter naturam, morboque genitum. Item ſingulare eſt, & praeter naturam, quattuor Arterias ex Aortae Curvatura prodire, & non tres tantum, quod ex conformatione naturali id accidiſſe dicendum eſt, vt in ſedigitis ceterisque partibus redundantibus contingit.

Dies plane me deficeret, & patientia tua fortaſſe nimis abuterer, Putei Amiciſſime, ſi deſcribendo narrare vellem Monſtroſa vniverſa huius generis, quae in Cadaveribus reperi, quare hiſce Rebus finem faciam; Verum Coronidis loco, vt aiunt, in fine huius Epiſtolae Hiſtoriam non praeteribo Phoſphori cuiusdam admirabilis, quem Mercator noſter ex ſuis veſtibus emittit, vt Principes Viri eum ad ſe acciri, & effectum hunc plane mirum conſpicere voluerint. Vir is eſt, Paullus Rinaldus nomine, annos natus triginta duos, ſanus, & boni habitus, quamquam aliquibus levibus affectionibus hypochondriacis obnoxius, vt adſtrictione alvi praeſertim, & flatibus, vt huiusmodi homines ſolent, laboret. Is praeterito Ianuario huius anni ad Nundinas Recinatenſes cum aliis Mercatoribus ivit, & ibi moratus eſt, vti ſolent, per vniverſum ferme illum Ianuarium menſem. Nix multa hoc anno illo menſe in noſtris regionibus cecidit, vt tan-

15

tam vmquam cecidiſſe nulli memoria teneant. Tempore rigidae illius Tempeſtatis noctu dum lectum peteret, & lucerna caſu exſtincta eſſet animadvertit ex ſuis interioribus veſtibus ſcintillas, & lumen prodire, ſi veſtes inter ſe, vel manibus confricaret; id repetit frequenter, & cum ſui, ſociorumque ſuorum admiratione per vniverſum tempus, quo Helviae Recinae moratus eſt, ſemper noctu ſcintillas, flammamque rubentem ex ſuis veſtibus interioribus prodire conſpexit. Circa finem Ianuarii Ariminum reverſus eſt, & in omnibus vrbibus, quae Ariminum inter, & Helviam Recinam interiaceant ſemper mirabile hoc φαινόμενον ex ſuis veſtibus obſervavit, at minus eſſe conſpexit iis diebus, quibus humidior erat aër, quam quando dies ſicca, & ſudum eſſet coelum. Arimini ſaepe apud me noctu fuit, & interdum Phoſphorus ille tam lucidus erat & ſplendens, vt mercurialis Phoſphorus lucidiſſimus, qui apud me erat in concurſu eius, qui ex veſtibus internis huius hominis prodibat; velut pallidum Lunae lumen, coram rubente Sole appareret. Obſervavimus quoque, ſi interula eſſet candida, & minime ſuccida tunc effectum magis conſpicuum edere; Item, vt dixi, in diebus ſerenis magis hunc effectum cerni, quam in diebus nubilis, & pluvioſis. Item ſi aliquo itinere eſſet defatigatus, & calefactus veſtes eius frictione magis ſcintillabant, & rubentem flam-

mam, innocuam tamen, ſemper edebant. Hoc pacto effectus iſte procedit, & hoc Vere, ſed multo minor, quam modo elapſa Hyeme, & dies, ſi nubila humidaque ſit, tunc effectus nullus, vel plane minimus eſt. Haec ſunt, mi Putei, quae de Monſtris, Monſtroſisque quibusdam ad Te ſcribere, & figuris inluſtrare habui, quas ad calcem huius Epiſtolae cum eorum explicatione adiungo. Vale. Datis Arimino Pridie Kalendas Maias Anno a Chriſto nato cIↄIↄccxlviii.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tab. I.

Fig. I. Aeluri duplicati corporis, sed vnico Capite ex parte anteriori conspectus.

A. Aeluri Caput vnicum, sed ad mentum dissectum, seu duplici mento constans, duplicique mandibula inferiori, in qua bifida lingua continebatur.

a. a. Funiculi duo Vmbilicales.

b. b. Pedes anteriores superioresque in parte anteriori.

c. c. c. c. Pedes quattuor posteriores.

Fig. II. Conspectus Aeluri ex parte posteriori.

a. a. Pedes duo superiores, qui dorso erant infixi.

b. b. Duo alii Pedes superiores in parte anteriori.

Fig. III. Vituli Bicipitis conspectus.

Fig. IV. Linguarum Vituli Bicipitis Conspectus vna cum Larynge & Portione Ossis Hyoidis, & Tracheae.

a. a. Linguae geminatae Vituli Bicipitis, quae ad Basim vniebantur, & papillas multas asperas singulae ostendebant, vt in omnibus Vitulis.

b. b. Portiones Ossis Hyoidis.

c. Laryngis ostium.

d. Tracheae Portio.

Tab. II.

Fig. I. Conſpectus Segmenti Ventriculi, in cuius fundo verſus Pylorum Vlcus calloſum, & profundum conſpiciebatur.

a.a.a. Labia calloſa Vlceris.

b. Duodeni Portio.

c.c. Ventriculi Portiones illaeſae.

d.d. Ventriculi Portiones vitiatae, ſeu craſſiores factae.

e.f. Duae Glandulae fundo Ventriculi in parte exteriori haerentes Amygdalae, vel Anacardi magnitudine.

Fig. II. Hepatis fruſtulum Glandulis conſpicuis, ſeu parvulis Tuberculis refertiſſimum.

Fig. III. Melonis monſtroſi, ſeu duplicis conſpectus, cuius Melonis Pediculus, Corpus, & Caput duplicia extrinſecus, & intrinſecus apparebant.

Fig. IV. Melonis per medium diſsecti Conſpectus.

a. Pediculus diſsectus, & manifeſto duplex.

b. Sepimentum, quo Ventres Melonis dirimebantur.

c.c. Loculi, in quibus ſemina matura vtriusque Melonis reperiebantur.

Fig. V. Ovum Gallinae monſtroſum oblongum, & recurvum.

17

TAB. III.

Fig. I. Glandula Thyroidea dextera, seu Glandulae Thyroideae pars dextera ossea, & variis in locis aspera, seu echinata, figura ovum columbinum referens.

Fig. II. Eadem Glandula Thyroidea ossea dissecta, & intus cava.

a. Prominentiae osseae in Glandulae Cavo exstantes.

Fig. III. Os repertum supra Cristam Galli, & ad duram Matrem adhaerens.

a. Cuspis Processus Falcati durae Menyngis.

b. b. Portiones durae Menyngis.

c. Pars Ossis superincumbens Cristae Galli.

d. Pars Convexa Ossis huius, cuius Pars concava intus latet.

e. Parvum foramen in Ossiculo.

f. Alterum parvum foramen inter Ossiculum, & duram Matrem.

g. Processus huius Ossiculi.

Fig. IV. Portio Arteriae Aortae cum Truncis, & Ramis Arteriarum Coronariarum Cordis ossificatis.

a. a. a. a. Segmentum Arteriae Aortae apertum.

b. Valvula Semilunaris, seu Sigmoidea, e cuius Cavo nulla prodit Arteria Coronaria.

c. Valvula Sigmoidea sub qua prodit ex Arteria Aorta Truncus dexter Arteriae Coronariae, qui Truncus maior est sinistro, & statim in plures Ramos dispescitur, qui omnes in hoc cadavere erant ossei.

. Valvula Sigmoidea altera, sub qua prodit sinister Truncus Arteriae Coronariae, qui recta per Cor incedit, & qui osseus erat in hoc Cadavere.

e. Truncus Arteriae Coronariae dextrae.

f. f. f. f. Ramuli varii Trunci dextri Arteriae Coronariae ossei omnes.

h. h. Duo Ramuli Arteriae Coronariae sinistrae ossei, qui tamen membranacei esse incipiebant in extremitate.

i. i. Foramina, ex quibus prodeunt ex Arteria Aorta Arteriae Coronariae.

Fig. V. Conſpectus Oſſis Hyoidis vna cum Cartilagine Thyroidea.

a. Baſis Oſſis Hyoidis.

b.b. Cornua Oſſis Hyoidis.

c.c. Oſſicula duo Avenae figura ſeptem lineas pariſienſes longa inter Baſim, & Cornua Oſſis Hyoidis conlocata.

d.d. Ligamentum connectens Cornua Oſſis Hyoidis cum Appendicibus Cartilaginis Thyroideae, in quo Ligamento frequenter Oſſiculum reperi Grani Hordei magnitudine.

e. Pars anterior Cartilaginis Thyroidis.

f.f. Proceſſus Superiores Cartilaginis Thyroidis, quibuscum iunguntur per Ligamenta Cornua Oſſis Hyoidis.

g.g. Proceſsus inferiores Cartilaginis Thyroidis.

Fig. VI. Segmentum Cornu Oſſis Hyoidis vna cum Segmento Proceſſu Cartilaginis Thyroidis, inter quae Oſſiculum *a* reperitur.

b. Segmentum Cornu Oſſis Hyoidis.

a. Oſſiculum Hordei decorticati magnitudine, & figura dependens a Cornu Oſſis Hyoidis, & Proceſsui Thyroidis alligatum.

c. Segmentum Proceſsus ſuperioris Cartilaginis Thyroideae.

Fig. VII. Pes Capi octo annorum cum Calcare inſignis magnitudinis.

a.a. Calcar corneae naturae, cuius longitudo aequat quinque digitos pariſienſes cum ſeptem lineis.

b.b.b. Vngues diſtorti digitorum Capi.

c. Vnguis naturalis.

Fig. VIII. Pes naturalis Galli Gallinacei, ſed qui praeternaturaliter Digitum redundantem habet.

a. Digitus redundans.


b.b.b.b. Digiti cum Vnguibus naturalibus.


c. Calcar naturalis in Gallis Capisque iunioribus.



Tab. I.
Fig. III.
Fig. IV.
a
a
b
b
c
d
A
Fig. I.
Fig. II.
b
b
b
b
a
a
a
a
c
c
c
c
Arimini S.

19


Tab. II.
Fig. I.
Fig. II
Fig. III
Fig. IV.
Fig. V.
Arimini S.


Tab. III.
Fig. I.
Fig. II.
Fig. III.
Fig. IV.
Fig. V.
Fig. VI
Fig. VII
Fig. VIII
Arimini S.